

No. 687. 1384. 9. Nov.

*Decan und Capitel genehmigen die zu Begehung des Jahresgedächtnisses des Domherrn und Probsts zu Wurzen Gebhard von Wolfticz gemachte Schenkung von Geldzinsen und bestätigen die sonst getroffenen rituellen Bestimmungen.*

Nos Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis recognoscimus — quod cum . . testamentarii quondam honorabilis viri domini Gerhardi de Wolfticz, praepositi Wurczinensis et nostri concanonici Misnensis de bonis et rebus per eundem derelictis in villa superiori Redirn districtus Haynensis, in pecunia et annona quatuordecim solidos grossorum Fribergensium minus septem hallensibus cum suis oblegiis annuorum reddituum rite et realiter cum plena proprietate emissent et comparassent, et tandem ob eiusdem quondam domini Gerhardi progenitorumque suorum animarum salutem eosdem redditus nobis et nostro capitulo pro observatione anniversarii ipsius domini Gerhardi praedicti, necnon etiam ad alios certos usus infra scriptos perfecta donatione devote obtulissent ac nobis humiliter et attente supplicassent, quatenus ipsorum donationem et oblationem praedictas, ac etiam ordinationem et dispositionem super divisione dictorum reddituum infra scriptas ratas et gratas habere et ad ipsarum observantiam nos et posteros nostros quoslibet astringere et obligare gratiosius dignaremur. Nos igitur piis dictorum . . testamentariorum precibus favorabiliter inclinati donationem et oblationem praedictas ratas et gratas habentes, ad observantiam anniversarii praedicti cum vigiliis et missa defunctorum, nec non dispositionis et ordinationis infra scriptarum, nos et quoslibet nostros posteros de unanimi et concordi nostri capituli — assensu efficaciter astrinximus et — obligamus. Dispositio autem et ordinatio — sequuntur in hunc modum: in anniversario praedicto singulis annis tredecima die mensis Junii in nostra ecclesia cum vigiliis et missa defunctorum peragendo collector praedictorum reddituum, qui pro tempore fuerit, dominis canonicis emancipatis et integratis in vigiliis et in missa praesentibus quatuor solidos grossorum, decima hospitalis et pretio campanatoris inclusis, et vicariis perpetuis et temporalibus similiter praesentibus duos solidos grossorum ministrabit, de superfluis vero redditibus idem collector providebit de duabus longis candelis cereis in phalangis seu hastis fiendis et singulis annis ad noctem nativitatis Christi renovandis, quae per anni circulum summo altari et ecclesiae in sollempnitatibus deserviant iuxta morem aliquamdiu primitus observatum; et in bona sexta feria post depositionem crucis, mox super tumulum quatuor candelas planas, quamlibet de decem talentis vel citra ponat et accendat, quae sic inextinguibiliter usque post summam missam diei resurrectionis dominicae ardeant, quae ex tunc extingui possunt. Sed nihilominus in secundis eiusdem diei vesperis debent reaccendi, quousque dictae vesperae complebuntur. In quorum omnium testimonium praesentes litteras dedimus maiori nostri capituli sigillo roboratas. Datum et actum Misnae anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto die nona mensis Novembris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grösseren Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.